

10
13.15
PROF. TABONE, O.F.M.

DE SYSTEMATE NOVI CODICIS
JURIS CANONICI

Extractum a Melita Theologica

Vol. II, No. 2 Nov. 1949—Mar. 1950

Printed at St. Joseph's Printing Press—Hamrun.

De Systemate Novi Codicis Juris Canonici

REV. PROF. P. TABONE, O.F.M.

J.C. TH. MOR. LECT. GLIS. JUB.

INTRODUCTIO

P IUS Papa X fertur jam a prima nocte insomni subsequente electionem suam ad summum pontificatum, die 4 Augusti 1904 habitam, serio cogitavisse de digerendis et componendis legibus Ecclesiae illo tempore existentibus. Utrum hoc vere factum sit necne, adhuc nescimus; sed certum est eundem Pontificem, die 19 Martii 1904, dedisse *Motu proprio* litteras "Arduum sane munus" (1) quibus decernebat Ecclesiae leges in unum codicem redigendas, atque in hunc finem constituisse Consilium sive, ut aiunt, Commissionem pontificiam ex nonnullis S.R.E. Cardinalibus constantem eique adjunxisse coetum Consultorum, delectum ex peritissimis Romanae Curiae Praelatis, ex egregiis cleri regularis sodalibus atque ex aliis sacrarum disciplinarum cultoribus. Deinde idem Pontifex nominavit Illmum. ac Revmum. Dnum. Petrum Gasparri, tunc Archiepiscopum titularem Caesariensem et Secretarium Status, Secretarium Commissionis Cardinalium atque simul Praesidem Coetus Consultorum. Hic Praeses statim, h.e. die 25 Martii 1904 (2), litteras publicas direxit ad universos Episcopos ut quamprimum, i.e. non ultra quatuor menses a receptis litteris, Sanctae Sedi referrent an et quaenam in vigenti tunc jure canonico, sua ipsorum sententia, immutatione vel emendatione aliqua prae ceteris indigerent, et pariter die 6 Aprilis (3) ejusdem anni ab eodem Cardinali Secretario Status ad Rectores Universitatum Studiorum litterae missae sunt quibus Professores Juris Canonici enixe rogabantur ut in arduum gravissimumque opus concurrerent ut inter Collaboratores adnumerari possent.

Dum Consultores et Collaboratores sua schemata parabant, sensim ad S. Sedem perferebantur Episcoporum postulata quae, in Consultorum commodum, uno volumine 300 paginarum typis impressa recepta sunt per materiae capita distributa. Consultores

(1) A.S.S., XXXVI, p. 549.

(2) A.S.S., XXXVI, p. 603.

(3) A.S.S., XXXVII, p. 130.

hi jam a die 4 Novembris 1904, una cum Praeside Gasparri, saepius convenire coeperunt ad singula schemata canonum discutienda antequam horum exemplar ad coeteros Consultores transmitterentur ut et ipsi, si aliquid animadversione dignum repperissent, scripto significarent. Schemata, hoc modo correcta et emendata, iterum ad Coetum Codificatorum mittebantur ut et ibi disceptatio fieret antequam Canones adprobati censerentur.

Sed cum singulae partes Codicis a Consilio Cardinalium approbatae essent, Pius Papa X praecepit ut de confecto opere exquireretur iudicium omnium Cardinalium et Episcoporum totius orbis catholici necnon et sententia Praelatorum Regularium qui ad Concilium oecumenicum vocari solent, ut et isti animadversiones, quas opportunas judicassent, S. Sedi referrent antequam iudicio ultimo Commissionis Pontificiae ad eorum approbationem subjicerentur.

Interim Pius Papa X, anno 1914, e vivis sublatus est; ejusque successor, Benedictus XV, statim ac fuit in Pontificem assumptus, praecepit atque ipse curavit ut labores incepti ad finem celerius perducerentur; itaque Beatissimus Pater die 28 Junii 1917, coram amplissimo coetu omnium Cardinalium in Urbe residentium, coram coetu Consultorum ac Collaboratorum Codicis, coram pluribus aliis praelatis Curiae Romanae et Praefectis Congregationum Sanctae Sedis, sollemniter novum Codicem Juris Canonici Universae Ecclesiae promulgavit hac tamen conditione ut ipsius Codicis praescripta vim obligandi habere non inciperent nisi a die Pentecostes anni subsequentis, i.e. a die 19 Maji anni 1918.

Et nunc, quamvis 30 anni elapsi sint a promulgatione Codicis et quamvis toto hoc tempore plures tractatus et commentaria necnon et manualia Codicis J.C. publicata sint, non videtur mihi superfluum aut inopportunum esse indagare quale systema secuti sunt Codificatores.

Ne Card. Gasparri quidem, qui, ut diximus, primus fuit secretarius et Praeses, nobis aliquid innuit de hac re in sua praefatione ad Codicem; sed ex litteris quas idem Praeses die 6 Aprilis 1904 misit ad Universitates catholicas ut ad codificationem concurrerent, constat haec esse proposita a Sancta Sede: "universum canonicum jus in canones seu articulos, ad formam recentiorum codicum, apte distribuatur, eodemque tempore, documenta, post authenticas Corporis Juris collectiones prodita,

ex quibus praefati canones seu articuli desumpti sunt, simul colligantur", et insuper, idem Praeses generalem ideam distributionis materiae dedit, i.e. praemissa parte generali complectente titulos *De Summa Trinitate et Fide Catholica*, *De Constitutionibus*, *De Consuetudine*, *De Rescriptis*, quinque haberentur libri: *De Personis*, *De Sacramentis*, *De Rebus et Locis Sacris*, *De Delictis et Poenis*, *De Judiciis* (4).

Igitur, dum *Motu proprio* "Arduum sane" Pii Papae X statuit ut colligerentur "universae Ecclesiae leges", circulares Cardinalis Gasparri explicaverunt "universum canonicum jus" colligendum esse, et dum idem *Motu proprio* praescribebat ut totum opus codificationis fieret ad normam Collectionum antiquarum, Secretarius Commissionis Pontificiae statuit ut fieret "ad formam recentiorum codicum", et iterum dum juxta mandatum ejusdem Pontificis totum opus in "unum" redigendum erat, juxta citatas litteras Secretarii in duas partes dividendum erat, i.e. in Codicem et in collectionem documentorum anno 1317 posteriorum ex quibus Canones et Articuli desumendi erant.

Attamen, quamvis circulares citatae clariores atque lucidiores essent quam *Motu proprio*, non possumus omnino affirmare omne dubium sublatum esse de systematione Codicis J.C.; videamus igitur quodnam sit istud systema quod sponte sua fluere debet, postquam totus textus Codicis accurato examini subjectus sit.

I. — SYSTEMA EXTERNUM

Et incipiamus, ante omnia, a systemate *externo* Codicis J.C. Per hoc systema intelligo *formam* seu *vestem externam* qua Codex, editio officialis, datus est nobis.

Editio haec typica seu authentica et legalis Codicis promulgata est in libro speciali Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis", Volumine IX, atque proinde in octavo et constat 521 paginis, una cum Bulla promulgationis "Providentissima Mater Ecclesia", diei 27 Maji 1917, directa ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ordinarios ac praeterea catholicarum Studiorum Universitatum ac Seminariorum Doctores atque Auditores. Sequitur deinde Formula Professionis Catholicae Fidei quae eadem est ac illa quae statuta fuit in Concilio Tridentino cum additione Concilii Vaticani, omissa praefatione, notis

(4) A.S.S., XXXVII. p. 130 sq.

atque indice analytico-alphabetico quae, aliis editionibus adjecta, privatam tantummodo auctoritatem doctrinalem habent.

Postea incipit Codex qui "Pianus-Benedictinus" appellari solet, quique in *quinque libros* dividitur; singuli libri, primo excepto, in *partes* dividuntur, et partes nonnullae in *sectiones* subdividuntur. Quaelibet sectio, vel quaelibet pars, in *titulos* distinguitur, et pariter liber primus statim in titulos dividitur; omnes autem tituli uniuscujusque libri sub unica et distincta serie peculiariter dinumerantur. Plures tituli distinguuntur in *capita*, quorum aliquot in *articulos* subdistinguuntur. Singulis libris, omnibus partibus, quibuslibet lectionibus, unicuique titulo, capitulis et articulis quibusvis semper sua *inscriptio* seu rubrica praepositur. Demum omnes et singulae leges distribuuntur in *Canones*, neque propria rubrica eisdem praepositur; series autem numerica Canonum per quinque libros Codicis continuatur et ad numerum bis-millesimum-quadringentesimum-decimum-quartum pertingit. Multi Canones in *paragraphos* distinguuntur, quarum plures in *commata* seu *numeros* dividuntur; sed nonnulli Canones immediate in commata seu numeros distribuuntur, ita v.g. Can. 6, 105, 106 aliique. In fine Codicis octo *antiqua documenta* adnexa sunt, quae ibi referuntur, tum quia de rebus omnino peculiaribus agunt, tum quia pleraque ex ipsis quamplurimas et accuratissimas normas pro aliquorum Canonum interpretatione statuunt (5). De istis sermo redibit ubi de materia Codicis.

Nunc vero si hoc systema externum Codicis J.C. comparemus cum Collectionibus antiquis Decretalium quae usque ad a 1918 constituebant, ut ita dicam, Codicem legalem, authenticum et exclusivum Ecclesiae universalis, quamvis ex una parte aliquam similitudinem inter hos duos Codices inveniamus, ex altera vero parte magna discrepantia intercedit. "Aliquam similitudinem" dixi, quia et Collectiones Decretalium in *quinque libros* dividebantur et libri in *Titulos* et hi in *Capita*, sed quoad *formam* legum nullo modo conveniunt. Decretales enim, cum in sua origine nihil aliud essent nisi decisiones datae a SS. Pontificibus in singularibus atque concretis circumstantiis, potius *formam sententiarum* habebant, quae sententiae saepius corroborabantur prolixis enarrationibus factorum, allegationibus causarum aliisque

(5) Berutti C.: Institutiones Juris Can., Taurini-Romae, 1936, I, n. 31, 32.

argumentis ut formam juridicam obtinerent. Decretales insuper saepius ornabantur pluribus clausulis atque incisive quae potius obscurabant quam explanabant leges. Dum Canones Codicis J.C. sunt *breves, concisi, clari* et non sine verborum *elegantia* compositi. Attamen juvat hic aliquas observationes circa hanc rem praec oculis ponere ne semper et ubique omnium rerum nostrarum in meliorem partem interpretatio fiat. Ceterum quodnam opus existit quod, arte perfectum cum sit, omnibus vitiis careat? Cur ergo mirari debemus si et in systemate externo Codicis J.C. aliqui defectus irrepsere?

Dixi Canones Codicis esse *breves et concisos*; ita est et hoc patet a prima facie corporis Codicis J.C.; sed aliquoties ita sunt breves et concisi ut, considerato nexu strictissimo inter eosdem, potuissent in unum eundemque canonem confici vel saltem sub diversa paragrapho. Ita v.g. Can. 906 et Can. 907 quamvis ambo loquantur de eadem re, i.e. de praecepto confessionis, nihilominus ambo habent numerum distinctum etsi primus constet tribus versiculis alter vero vix duobus. Dum e contra aliqui alii Canones ita sunt longi ut, propter eorundem diversam dispositionem necnon et magnum pondus, optime in alios distinctos canones dividi potuissent.

Dixi quoque quod Canones sunt “clari et non sine verborum elegantia compositi.” Etenim lingua qua Codex J.C. juxta instructiones diei 11 Aprilis 1904 debebat esse “quantum liceret, sacrarum maiestate legum (digna), in Jure Romano tam expressa feliciter”, laudata fuit ab omnibus non tantum propter simplicitatem et claritatem ejusdem sed etiam propter nitorem, accurate necnon et proprium dicendi genus. Sed hoc in genere; etenim aliqua vocabula Canonum non semper eandem atque propriam significationem habent, v.g. vocabulum “jus” modo pro jure objectifo sumitur uti in Can. 145 §2, modo pro subjectivo uti in Can. 1667, modo pro aliqua facultate uti in Can. 605 §3, modo etiam pro aliqua utilitate in genere uti in Can. 682. Leges quae obligant in universa Ecclesia modo “universales” uti in Can. 6, n. 1, modo “generales” uti in Can. 13, §1, vocantur. Vocabulum “privilegium” modo factum significat quo auctoritas ecclesiastica aliquam gratiam juridicam aliquibus concessam esse declarat ut in Can. 136, §2 et 1509, n. 2, modo ipsam gratiam jam datam, uti in Can. 118 et sq., modo aliquam praerogativam alicujus categoriae hominum vel rerum ut in Can. 239 §1,

349 §1, 328, 625. Ita etiam vocabulum “abrogare” quod in Can. 22 cessationem legis significat, tum vero in Can. 3 pro imutatione stat. Verbum “eliguntur” in Can. 399 et verbum “electiones” in Can. 1452 et sq. non idem prorsus significant ac verbum “electio” in Can. 160 et sq. Quare sicut in jure Decretalium valebat, ita quoque valere in novo Codice censenda est regula illa: “A rubro ad nigrum valet illatio” (6). Imo hic et inde non desunt *dispositiones ambiguae* quae non parum legem difficiliorem reddunt uti illa quae habetur in Can. 542, h.e. verba “qui sectae acatholicae adhaeserunt” ad “acatholicos” significandos adhibita sunt (7), vel illa quae est in Can. 1971 quo vox “impedimenti” non necessario concordare debet cum impedimentis matrimonialibus de quibus Cap. IV, Tituli VII, Libri III Codicis (8).

Insuper et ipsa lingua interdum neglecta, ne dicam rudis, videtur. Ita in Can. 1652 ubi de Religiosis haec verba usurpantur “non habent personam in iudicio”; in Can. 1655 §1 “reus... semper habere debet advocatum”; in Can. 1661: “advocatus ut causae patrocinium suscipiat, habere necesse est... commissionem”. Et aliquoties nova verba et abbreviationes abundant; ita Can. 34 quo dicitur “terminus a quo”; in Can. 339: “dies ad quem, dies a quo”; in Can. 223: “Abbas nullius”; in Can. 2357 §1: “delicta contra sextum”. Imo et circumlocutiones habentur quibus Codex carere poterat; ita Can. 139 §4 qui deputatos vocat “oratores leges ferentes” dum eodem tempore utitur voce simpliciore “senatorum”. Codex tandem saepius utitur formulis communibus “uti ajunt”, “quae dicuntur”, “quos vocant” uti videri possunt in Can. 111 §2, 131, 188 n. 5, 247 §3, 420 §2, 1349, 1410, 1539 §2, 1629 §1, 1634 §1, 1705 §2, 1745, 1866 §1, et verbis, praesertim adjectivis sine ullo valore juridico uti in Can. 105 n. 3, 1502, 1504 aliisque, et in Can. 1772 §2 utitur vocabulo puro et simpliciter italico, quod est “confrontare”.

Ex dictis jam patet systema externum Novi Codicis non esse in omnibus perfectum, sed ex hoc non sequitur ut vituperandum sit praesertim cum sciamus multos ex recensitis defectibus originem traxisse ex reproductione textuali legum antiquarum quas

(6) Maroto Ph.: *Institutiones Juris Can.*, Matriti, 1919, p. 155.

(7) Cfr. Comm. Pont. pro interpretatione authentica Codicis J.C. die 16 Oct., 1919.

(8) Ibid. 12 Mart., 1929.

Ecclesia semper in honore habuit necnon ex diversitate linguarum ac judiciorum illorum virorum clarissimorum qui tanti operis partem habuerunt. Satis est dicere in Commissione a Pio X instituta 34 Cardinales, ab initio usque ad finem, adfuisse, et Consultores, primo erant 44 et iterum circiter 50. His omnibus adde et Collaboratores, qui tot erant, quot Episcopi dioecesani, Superiores Regulares et Universitates catholicae in universa Ecclesia, illo tempore, aderant. Nunc vero, istis omnibus viris clarissimis perfectus evadere ut nulla afficeretur discrepantia eorum omnium in unum opus una simul concurrentibus, num poterat Codex ita tum quoad modum sentiendi cum exponendi? Ceterum Legislator jam ante promulgationem Codicis vidit has difficultates et praesertim illas quae oriri poterant de sensu Canonum et praecise propter hoc non tantum aliquae regulae interpretationis statutae sunt in ipso Codice, Canone 6, sed et Benedictus Papa XV, Motu proprio "Cum juris Canonici" die 15 Septembris, 1917, Consilium seu Commissionem ad Codicis J.C. Canones authentice interpretandos instituit constantem ex aliquot S.R.E. Cardinalibus atque Consultoribus ex utroque clero juris canonici peritis ab ipso S. Pontifice designandis (9). Et re quidem vera multae ex hujusmodi difficultatibus vel dubiis factae sunt Commissioni Pontificiae quae publicatae sunt in "Acta Apostolicae Sedis".

Rupta igitur semel in aeternum traditione casuisticae concretae qua utebantur Decretales pontificiae, Codificatores secuti sunt aliud systema, systema novum, clarum, perfectum quantum fas est, juxta methodum adhibitam a Codicibus civilibus recentioribus et praesertim italico quem Codicem, uti putatur, Codificatores anteferebant ceteris. Etenim si Codex civilis italicus cum Codice J.C. comparatur, magnam similitudinem, non tantum quoad numerum quinquenarium librorum, sed etiam quoad ipsam divisionem librorum imo et quoad formam legum, invenimus. Unica differentia est haec quod Codex civilis italicus ultimo dividitur in *Articulos*, dum Codex J.C. in Canones, qua nomenclatione Ecclesia, in suis legibus ferendis, semper usa est ab antiquis temporibus.

II. — SYSTEMA INTERNUM

Attamen in omni Codice plusquam systema externum necessarium est systema *internum* seu *substantiale*, illud nempe quod

(9) A.A.S., IX, p. 483 sq.

respicit materiam necnon nexum inter diversas partes ejusdem materiae.

Nunc vero si materia Codicis J.C. iterum comparetur cum omnibus Collectionibus legalibus atque authenticis antiquis, statim intelligimus novum Codicem esse opus substantialiter diversum a praedictis Collectionibus quia nulla ex his umquam complectebatur totum jus canonicum et nulla ceteras praecedentes Collectiones omnino saltem abrogabat sicut fecit Codex.

Etenim Prima Collectio authentica a Petro Collivicino, vulgo Beneventano dicto, composita directaque Universitati Bononiensi cum Bulla "Devotioni vestrae" diei 28 Dec., 1210, complectebatur tantummodo Decretales Papae Innocentii III; iterum "Compilatio Quinta" Archidiacono Tancredi cum Bulla "Novae Causarum" inter Januarium 1226 et Martium 1227 missa, ut in scholis et in judiciis ea omnes uterentur, complectebatur tantum Decretales Honorii III, imo neque Collectio Gregorii IX complectebatur omnes leges vigentes illo tempore, ita ut jam ab anno 1234, praeter hanc Collectionem Gregorianam, omnes aliae leges, ab ipsa non abrogatae, sive receptae erant a Gratiano in suo opere privato sive non suum vigorem vere servabant. Neque harum legum vis temperata fuit a Bulla publicationis Libri Sexti Bonifacii VIII, quia ipse Bonifacius abrogavit tantum leges post Gregorii IX ordinationem publicatas et in Sexto non comprehensas aut saltem expresse non reservatas (10).

Ast Ecclesia non solum usque ad haec ultima tempora nunquam habuit similem Codicem unicum et exclusivum, sed ne conata est quidem umquam habere. Etenim neque ipsa Collectio Summis Pontificibus Gregorio XIII, Sixto V et Clemente VIII regnantibus facta atque anno 1598 edita, praeseferebat codificationem juris canonici illo tempore vigentis etsi in eadem Collectione comprehensae essent Decretales et leges in praecedentibus Collectionibus authenticis non habitae, quamque Cardinalis Pinelli obtulit Pontifici uti "postuma canonum collectio, quae pontificia jura et conciliorum decreta annorum prope trecentorum compendiaria quadam summa complectitur".

Codex J.C. igitur, aliter ac ceterae Collectiones antiquae, si revera non complectitur omnes actuales leges disciplinares Ecclesiae, est tamen unicus atque authenticus fons totius juris eccle-

(10) Maroto Ph.: l.c., p. 77.

siastici vigentis a die promulgationis ejusdem. Et si ipse Codex, vel comparatus cum sola Collectione Papae Gregorii IX, apparet sat tenue volumen, hoc facile explicari potest non tantum quod in illo omittantur repetitiones et prolixae narrationes factorum sed et aliae copiosae materiae quae tamen, cum adprobatae sint ab ipso Legislatore, suam vim juridicam adhuc habent (11).

Et in primis omissae sunt in Codice illae leges quae respiciunt Ecclesiam Orientalem iis exceptis quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt (Can. 1). Hoc factum est jure meritoque quia Orientales in suis moribus late differunt a populis Occidentalibus, et ita Ecclesiae Orientales, etsi in Fide et Dogmate unum sint cum R. Pontifice, differunt tamen ab Ecclesia Latina in suis ipsorum liturgicis ritibus quos Suprema Auctoritas ecclesiastica semper in honore habuit et adhuc habet, et ut istae leges conserventur juxta eandem morem antiquum, Pius IX die 6 Januarii, 1862 Congregationem pro negotiis Ritus Orientalis instituit et Pius XI Consilium vel Commissionem Pontificiam die 17 Julii, 1935 constituit ad redigendum "Codicem Juris Canonici Orientalis" (12).

Omissae sunt etiam in Codice leges liturgicae etsi multae earum quae praesertim respiciunt celebrationem Missae, recitationem Divini Officii, administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, inveniantur passim in eodem Codice et praesertim in sectione quae respicit Sacramenta et loca sacra Ceterae vero quaeveniuntur in liturgicis libris ab Ecclesia probatis, vim suam adhuc retinent, nisi ulla earum in Codice expresse corrigatur (Can. 2). Usque ad Codicis promulgationem sex volumina harum legum prodierunt cum titulo "Decreta authentica"; nova decreta quae prodeunt post Codicem, publicantur in "Acta Ap. Sedis" et ita vim legis obtinent.

Codex insuper omittit conventiones ab Apostolica Sede cum variis Nationibus initas; attamen illas non solum non abrogat aut iis aliquid obrogat sed omnino adprobat. Idcirco eae conventiones vigere pergent, contrariis Codicis praescriptis minime obstantibus (Can. 3). Ceterum, quia cognitio hujus juris concordarii est valde necessaria pro regimine Ecclesiae, Illmus. ac Revmus. Mons. Angelus Mercati, a. 1919, publicavit "Raccolta

(11) Falco M.: Introduzione allo studio del C.J.C. Torino, 1925, p. 273.

(12) A.A.S., 1935, pp. 306-308.

di concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le autorità civili". Opus hoc notam officialem non habet, sed spiritus et interpositio Sanctae Sedis patefiunt.

Ac leges particulares omittuntur in Codice et quidem non tantum illae quae ab Episcopis sed et illae quae a Suprema Auctoritate latae sunt. Ratio est quia Codex characterem universalem habet. Nihilominus idem Codex generico tantum modo abrogat consuetudines quae in ipsis canonibus expresse *reprobantur*; ceteras vero centenarias et immemorabiles tolerat si Ordinarii existiment eas prudenter submoveri non posse (Can. 5).

Codex tandem omittit leges continentes doctrinam pure et simpliciter theologicam, quamvis passim aliqua harum habeatur. Ita, v.g., Can. 737 qui de necessitate Baptismi ad salutem discernit; Can. 801 et 911 qui alter alteram definitiones SSae. Eucharistiae et Indulgentiarum praebent. Sed hi Canones alique ejusdem generis, referuntur in Codice tantum tamquam fundamentum aliorum Canonum de eadem re pertractantium; locus enim proprius harum legum alibi est et praesertim in libris Conciliorum et Theologiae Sacrae. Et idem dicendum est in genere de legibus quae *Jus Publicum* respiciunt. Dixi "in genere" quia aliquae harum referuntur etiam in Codice, sic, v.g., Can. 108 qui de S. Hierarchia loquitur; Can. 218 de Primatu R. Pontificis; Can. 1495 de nativo jure Ecclesiae bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi; Can. 1553 et 2214 de eodem jure Ecclesiae judicandi atque delinquentes sibi subditos poenis coercendi. Sed cum Codex J.C. per se *jus privatum* sit, respiciens nempe disciplinam et regimen illorum qui ad Ecclesiam pertinent, leges quae respiciunt *jus publicum* ad alias scientias quae de hoc jure tractant, relinquuntur

Inspecta cum sit natura, ut ita dicam, Codicis J.C., transeamus ad materiam et divisionem ejusdem Codicis. Sed in primis notandum est materiam in genere non esse distributam juxta normam datam a Card. Gasparri in suis litteris encyclicis diei 6 Aprilis 1904. Etenim *pars generalis* mutata fuit in *Primum Librum* Codicis "Normae generales" inscriptum, quo, titulus "De Summa Trinitate et de Fide catholica" omissus est. Insuper primus liber "De Personis" mutatus fuit in *Secundum Librum* Codicis; Liber secundus "De Sacramentis" et tertius "De Rebus et locis sacris" conjuncti sunt in unum et mutati in *Tertium Librum* "De Rebus" inscriptum; quartus liber "De

Delictis et Poenis" mutatus est in *Quintum Librum* Codicis cum inscriptione eadem, atque quintus "De Judiciis" in *Quartum Librum Codicis* cum inscriptione "De Processibus".

Ex hac nova dispositione librorum Codicis patet etiam ipsum Codicem minime secutum esse dispositionem materiae in Decretalibus habitae quae materia generali modo exprimebatur per illum versiculum omnibus canonistis notum "Judex, iudicium, clerus, connubia (sponsalia), crimen". Uti patet jus matrimoniale (connubia) jam non efformat librum separatum; etenim sacramentum matrimonii in Novo Codice adjunctum est reliquis sacramentis in Libro III ejusdem. Igitur systema in novo Codice receptum jam non respondet systemati Decretalium, licet hoc substantialiter propositum fuerit initio Codificationis, sed potius respondet systemati in Institutionibus canonicis a Canonista Lancellotti et postea ab aliis canonistis communiter adhibito, cujus divisio est, praeter introductionem generalem, in quatuor generalia membra sub his duobus versiculis comprehensa :

"Personas nos prima docet, resque secunda,
tertia dat iudices, crimina quarta premit."

et hoc congruenter, cum additione Libri I "Normae generales" ut, forsan, divisio jam recepta in quinque Libros servetur. Notum est enim hoc systema Institutionum prae systemate Decretalium communiter esse habitum clarius atque perfectius (13).

Ast in novo Codice id quod pluris aestimari debet est ordo quo singuli libri compositi sunt. Etenim *Liber Primus* "Normae generales" est vera introductio ad totum jus Canonicum. Per enim septem priores Canones Codex determinat ambitum suum; transit dein ad *fontes generales juris* qui sunt *Lex* (Tit. I) et *Consuetudo* (Tit. II) et *fontes speciales* qui sunt *Rescripta*, *Privilegia* et *Dispensationes* (Tit. IV-VI). Divisio pulcherrima atque perfecta. Una difficultas quae hinc oriri potest est haec: cur Codex inter fontes generales et speciales ponit alium titulum, i.e. III, "De Temporis Supputatione". P. Maroto putat titulum hunc appendicem esse interpretationi legum de quibus in Tit. I.—Sed tunc cur Tit. III "De temporis supputatione" non est positus immediate post Tit. I. vel saltem in fine? (14).

Liber Secundus "De Personis". Liber hic revera constituit

(13) Maroto Ph.: l.c., p. 152.

(14) Maroto Ph.: l.c., p. 251 in n. 2.

subjectum juris et incipit cum regulis generalibus circa “*Personam*”; postea transit ad primum ordinem personarum qui *Clerici* sunt, personae Deo sacratae et *subjectum activum* potestatis ecclesiasticae, et quidem sub duabus sectionibus diversis in genere (Tit. I-VI) nempe et in specie (Tit. VIII)—*Pars I*—. Deinde secundum ordinem Personarum considerat, qui *Religiosi* sunt, quique, quamvis et isti sacrati sint Deo, vivunt in societatibus privatis et ideo sine functionibus specialibus in vita sociali Ecclesiae.—*Pars II*—. Codex tandem transit ad tertium ordinem Personarum, qui *Laici* sunt, quique efformant *subjectum passivum* jurisdictionis ecclesiasticae, vel *Subditi*—*Pars III*—. Tres partes vere mirabiles quia et ipsi tres ordines personarum constituunt Ecclesiam Christi, i.e. Sacerdotes, Religiosi et ceteri Fideles. Sed si istae tres partes vel divisiones inspiciantur ad normam scientiarum invenias secundam partem “*De Religiosis*” suum locum hic non habere quia classes hierarchiam ecclesiasticam constituentes sunt tantum duae, i.e. Clerici et Laici; et quidem sermo “*De Religiosis*” ante Codicem fiebat in tractatu “*De Cultu divino*” qui hodie in Tertio Libro Codicis collocatur. Sed cum ex altera parte Religiosi considerari possint tanquam anulus conjunctionis Clericos inter et Laicos, quia et ipsi esse possunt et clerici et laici, Codificatores, magna cum sapientia, locum quem illi merentur tribuere.

Liber Tertius: “*De Rebus*” pettractat de mediis necessariis ad consequutionem finis Ecclesiae. Media haec esse possunt sive spiritualia tantum, sive temporalia sive mixta, atque propterea Codex in *Prima Parte* hujus libri agit de septem Sacramentis cum haec directe et principaliter ad sanctificationem animarum tendant, qui finis praecipuus est Ecclesiae Christi; in *Secunda Parte* de locis et temporibus sacris, i.e. de ecclesiis, oratoriis, altaribus et coemeteriis, de diebus festis, de abstinentia et jejunio, agit; in *Tertia Parte* de actibus qui respiciunt cultum divinum, v.g. custodiam SS. Eucharistiae, cultum Sanctorum, imaginum et reliquiarum, processiones etc.; haec enim omnia relationem habent cum sanctificatione animarum. In *Quarte Parte* de Magisterio ecclesiastico quod exerceri potest sive per verbum Dei divulgatum sive Seminariis et Scholis; in *Quinta Parte* de Beneficiis Ecclesiasticis agit atque tandem in *Sexta* de bonis Ecclesiae temporalibus. Nonne habent istae citatae partes intimum atque proprium nexum inter sese?

Unica difficultas quae ex hac divisione oriri potest est haec: Officia et Beneficia, propter eorundem intimam connectionem, antiquitus sub eodem titulo pertractari solebant, imo et aliqui scriptores post Codicem, inter quos Wernz-Vidal (15) et Hilling (16), hanc methodum secuti sunt: cum ergo Codex cum de Officiis locutus sit in Libro II, "De Beneficiis" in hoc Tertio Libro agit? Audiatur M. a Coronata: "Beneficium de quo in Libro Tertio, considerari venit tamquam beneficium simpliciter quod nempe magis respicit jus fructus percipiendi, quod jus saltem aliquid temporale pro objecto habet. Hoc elementum materiale causa fuisse videtur cur Codex hoc loco Libri Tertii antequam "De bonis Ecclesiae temporalibus" ageret, tractationem posuit "De Beneficiis ecclesiasticis" (17).

Liber Quartus "De Processibus" verum Codicem *Procedurae* ecclesiasticae, ut novo verbo utar, constituit, et quia *Procedura* haec esse potest judiciaria, administrativa et disciplinaris Codificatores, postquam in *Sectione I Partis Iae* locuti sunt super *judicia in genere*, in *Sectione II* normas peculiare exhibent in certis quibusdam judiciis servandis, uti v.g. in iudicio contentioso, criminali, matrimoniali et Ordinationis Sacrae. Postea alias normas in causis Beatorum Sanctorumque servandas tradunt; sed cum haec pars satis prolixa sit, complectitur enim 143 Canones, **partem separatam** a praecedentibus habet et constituit *secundam partem* Libri Quarti. Codex tandem in *tertia parte* transit ad Processum administrativum et disciplinarem in septem diversis titulis.

Partitio haec forsitan non placet omnibus jurisperitis; sed ceterum scire debemus jus processuale, ne quidem in Codicibus civilibus, ad objectum suum accurate definiendum adhuc pervenisse. Ante Codicem normae de causis Beatorum Sanctorumque ibi inveniebantur ubi "De cultu divino" agebatur, quae materia hodie, uti vidimus, in Tertia parte Libri Tertii invenitur. Sed, nihilominus, quodnam argumentum juxta scientiarum regulas afferri potest contra hoc novum systema C.J.C.? Nonne causae Beatorum Sanctorumque veres et integros processus constituunt

(15) Jus Can., II, n. 139.

(16) Des Personenrecht des C.J.C., § 24, p. 84.

(17) A Coronata M.; Institutiones Juris Can., Taurini, 1931, II, n. 971.

in quibus inveniuntur personae, probationes, testes aliaque documenta cuicumque processui necessaria?

Potius hic aliquis interrogare potest cur Codex super processum judicalem in dimissione Religiosorum votorum perpetuorum agat in Libro Secundo et non in Quarto qui omnis *de processibus* agit. Fateor me nullam aliam rationem invenire de hoc modo agendi Codicis praeter rationem convenientiae atque conjunctionis hujus materiae cum tractatu "De Religiosis" de quo in Libro Secundo.

Liber Quintus "De Delictis et Poenis" constituit Codicem criminalem ecclesiasticum sive quoad laicos sive quoad clericos, ideoque, considerata natura atque imputabilitate delicti ecclesiastici in Prima et natura poenarum tam in genere quam in specie in Secunda Parte, agit in Tertia de poenis in singula delicta i.e. contra fidem et unitatem Ecclesiae, contra Religionem, auctoritatem, personas et res ecclesiasticas, contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores, contra obligationes status clericalis et contra abusus qui committi possunt in officiis ecclesiasticis. Liber hic, uti patet, est maxime omnium aliorum librorum ordinatus et compositus et ideo vix ullam reprehensionem civilistarum incurrit.

Post hos quinque Libros, in fine Codicis tamquam appendix, adjiciuntur octo Documenta quae, cum vim legalem habeant, non possumus illa obiter saltem non recensere. Haec Documenta sunt: Const. Pii X "Vacante Sede Apostolica", 25 Dec., 1904; Const. pariter Pii X "Commissum nobis", 20 Jan., 1904; Const. Leonis XIII "Praedecessores nostri" cum adjecta Instructione, 24 Maji 1882: hae tres Constitutiones electionem R. Pontificis spectant. Const. Benedicti XIV "Cum illud", 14 Dec. 1742, de forma concursus ad Paroecias. Const. iterum Benedicti XIV "Sacramentum Poenitentiae", 1 Maji 1741, de Sollicitatione ad turpia in Confessione. Const. Pauli III "Altitudo", 1 Jun. 1537; Const. S. Pii V "Romani Pontificis", 2 Aug. 1571 et Const. Gregorii XIII "Populis", 25 Jan. 1585 quaeque tres respiciunt matrimonia in infidelitate contracta a neoconversis, et, cum ante Codicem particulares fuerint, vi Canonis 1125 universales declarantur.

Dixi supra Documenta haec adjecta esse Codici quia tempore Promulgationis integre adhuc vigeant. Sed post Promulgationem Documentum I, i.e. Const. Pii Papae X "Vacante S. Apo-

stolica", vim suam legalem amisit, non tantum per immutationes inductas a Pio XI Motu Proprio "Cum proxime", 1 Maji 1922 (18), sed praesertim per aliam Constitutionem apostolicam "Vacantis Apostolicae Sedis" die 4 Februarj 1946 a regnante Pontifice promulgatam (19). Non est locus demonstrandi differentiam inter has duas Constitutiones, sed curiositatis tantum causa, volo denotare unam solam renovationem quae magni momenti est in nova Constitutione. Juxta Constitutionem Pii X ad validam R. Pontificis electionem requirebantur duae saltem ex tribus partibus suffragiorum, dum in Constitutione Pii XII requiruntur eadem duae ex tribus partibus suffragiorum Cardinalium, *uno tamen plus*. Et ratio hujus renovationis data est ab ipso S. Pontifice i.e. "... ut quaelibet praecaveatur occasio dubitandi num in duabus tertiis partibus suffragiorum, suffragium ipsius Electi numerari queat, cum nemo unquam... seipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit: electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari".

Demum, separatim a Codice, decursu temporis prodierunt octo magna volumina reproducentia omnes Codicis J.C. Fontes, quorum priora sex edita sunt cura Emi. Petri Cardinalis Gasparri et ultima duo cura et studio Emi. Justiniani Cardinalis Saredi, cum variis indicibus ut ii, qui juris Canonici studio incumbunt fontes investigare eosque cum Codice comparare facilius et expeditius valeant.

Ex dictis jam liquet totam materiam Codicis digestam esse plus minusve, ad normam ab Emo. Cardinali Gasparri in suis litteris encyclicis diei 6 Aprilis 1904 exhibitam. Systema igitur Codicis J.C. est omnino novum, clarum, concisum, perfectum, imo, praesertim systema internum, est practicum atque scientificum. Practicum, quia lex est vita, et ideo Codex J.C. est vita normaue agendi totius Ecclesiae Christi; est pars Theologiae practicae, imo, uti volunt aliqui AA. sive veteres sive recentes, est "Theologia rectrix" sive "practica" (20). Et propter hoc Codificatores semper curabant ut illum facilem redderent intellectu unde originem duxerunt aliqua vitia seu defectus quos supra no-

(18) A.A.S., XIV, p. 145.

(19) A.A.S., XXXVIII, pp. 65, 100.

(20) Maroto Ph.: l.c., p. 38.

tavimus. Est *scientificum*, non tantum propter intimum nexum inter diversos libros diversasque partes eorundem librorum, sed etiam propter integritatem materiae. non dico *formalem* quam olim poscebat Bentham quatenus nempe excluditur quaelibet allegatio ad consuetudines, ad leges exteras, ad jus naturale etc., quia, juxta illum, "whatever is not in the Code, ought not to be law". Theoria haec applicari minime potest pro Codice J.C. cum Ecclesia, juxta sua principia constitutiva, abrogare non potest vim juris divini et naturalis vel non tolerare quasdam consuetudines vel quasdam leges anteriores non conservare. Codex J.C., uno solo volumine, complectitur, praeter jus poenale et processuale, totum jus constitutionale atque administrativum. Itaque Ecclesia nunc habet Codicem cui similem nulla alia societas vel Status adhuc possidet.

Alia nota quae reddit Codicem J.C. in suo systemate perfectiorem atque nobiliorem omnibus codicibus civilibus est haec: lex canonica non semper humana est ideoque fundatur in principiis immutabilibus atque aeternis; dum e contra leges civiles, paucissimis exceptis, humanae sunt ideoque *mutabiles* et *augeri*, *minui*, imo et *tolli* possunt ad voluntatem eorum qui rem publicam administrant. Imo et lingua qua exaratus est Codex, etsi aliquoties aliqui defectus irrepserint, multum influit in systema scientificum ejusdem Codicis. Scriptus est enim Codex lingua latina, non solum quia haec est lingua universae Ecclesiae, sed etiam quia nulla alia lingua potest exponere et explicare cum omnibus suis varietatibus atque subtilitatibus legem praesertim canonicam. Et inde graviter errant illi magistri qui non callentes linguam latinam contendunt se posse bene intelligere vel, quod pejus est, aliis explicare legem canonicam. Et hoc satis bene animadvertit S.C. De Seminariis et Studiorum Universitatibus quando in suis "Ordinationibus" ad Constitutionem Apostolicam "Deus Scientiarum Dominus" die 12 Junii 1931, latis praescripsit ut Codex J.C. lingua latina tradatur (21).

*Extract from "Melita Theologica", Vol. II, No. 2.
Nov. 1949—Mar. 1950.*

(21) Art. 21.